

No. 174. 1425. 15. Dec.

*B. Rudolf von Meissen genehmigt die Stiftung und Ausstattung des Katharinenaltars in der Kreuzcapelle durch die Wittve Katharina Judinne, überweist diesem Altar die von der Stifterin zugewendeten widerkäuflichen Zinse und demselben sowie dem Stephansaltar gleichfalls in der Kreuzcapelle das von der Schenkerin bis zu ihrem Tode zu bewohnende Holzhaus, trifft Anordnung über die Verpflichtungen des Altaristen des neuen Altars, über die Entschädigung an den Pleban, über Ausübung des Patronatrechts.*

Rudolfus dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Misnensis — Cum divini nominis gloriam etc. Sane exposito nobis pro parte honestae matronae Catherinae Judynne viduae in Dresden, qualiter ipsa — certos census annuos et redditus videlicet novem sexagenas grossorum clipeatorum monetae Fribergensis cum media sexagena grossorum eorundem in districtu civitatis Dresden et alibi iacentes iusto et legali reemptionis titulo comparatos in dotem et proprietatem altaris sub titulo et honore beatae Catherinae eximiae virginis et martiris gloriosae in ecclesia sive capella sanctae Crucis in Dresden consecrati fundati et erecti pro sustentatione congrua rectoris altaris eiusdem nec non domum suam ligneam retro domum altaristae altaris beatae Barbarae et quasi exopposito domus quondam Bisschoff sitam pro altaribus et altaristis eorundem s. Catherinae praedictae et s. Stephani in dicta capella s. Crucis similiter siti — irrevocabili donatione nomine perpetui testamenti post mortem ipsius donavit ac deputavit, prout haec omnia et singula in litteris privilegialibus et instrumentis publicis ac etiam in libro dictae civitatis Dresden lucidius clarent et conscripta dinoscuntur. Qui quidem census et redditus una cum domo praedicta per discretum virum dominum Mathiam Slegil dicti altaris rectorem nobis sunt oblati cum supplicatione humili et devota, quatenus ad omnia et singula praemissa consensum nostrum praebere dictosque census et redditus — acceptare ipsosque dicto altari una cum domo praedicta ipsis praenominatis altaribus deputata unire incorporare ac bonis ecclesiasticis et titulis insignire, tandem ipsum altare in beneficium ecclesiasticum cum dote sua instaurare — gratiosius dignaremur. Nos igitur Rudolfus — praedicti altaris foundationem donationem ac ordinationem cum ceteris praenarratis ratas et gratas habentes approbamus ratificamus et auctoritate nostra ordinaria seu diocesana per praesentes — confirmamus, altare quoque praetactam in beneficium ecclesiasticum erigimus et beneficiali titulo insignimus, census vero praedictos et proventus eidem in dotem assignatos dicto altari et domum praetactam ipsis praenominatis altaribus similiter assignatam unimus incorporamus et confirmamus, decernentes eosdem in antea fore ecclesiasticos — ac per altaristam — possideri pacifice tolli et levare, sic tamen quod rectores huiusmodi altarium — domum ipsis — assignatam simul et cum decentia post mortem praedictae Catherinae Judynne inhabitare aut aequaliter inter se dividere et partiri debent, prout ipsis congruentius et commodosius videbitur expedire; invasores quoque — tamquam sacrilegos ecclesiastica districtione [fore] puniendos. Plebano vero ibidem nomine restauri singulis annis idem altarista duos solidos gros-